



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel  
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt I. Cœlestinus III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](#)

juxta Concilium Illerdense in cap. Presbyter, 2. q.  
4. ibi : Ne populus fidelium scandalum patiatur.  
Quare ubi scandalum, aut infamia non adest, talis  
purgatio indicenda non est, quia ut ait Cornelius  
Papa in cap. sacramentum 2. q. 4. Sacramentum à  
summis sacerdotibus, vel reliquis non nisi pro recta fide  
exigitur.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, nam  
Dissolvitur dubi- licet in causis civilibus regulariter actore non  
tandi ra- probatur, reus absolvatur; tamen in criminalibus  
tio. Ecclesia exigit, ut reus probet suam innocentiam,  
aut faltem cum gravis infamia, inde orta est, vel  
scandalum in populo adest, ut etiam jure civili in  
gravioribus criminibus, velut Majestatis, defere-  
ta militiae, peculatus, non tantum accusator ea,  
qua objecit, probare debebat, verum etiam reus,  
alioquin non absolvebatur, et si actore in proba-  
tione desiceret, quia purgatio ex parte rei deside-  
ratur, l. fallaciter, in fine C. de abo. Sicut enim in  
causis civilibus, si dubia sunt, adsintque conjectu-  
re, actore non probante reus non absolvitur, sed  
judec deferi jusjuradū reo, vel actori, l. admonēdi,  
ff. de jurjurand. l. 3. C. de rebus creditis, Novella 124.  
Iusti. Ita etiam in criminalibus, actore non proban-  
te, si causa dubia est, propter infamiam & scan-  
dalum purgatio per juramentum recte reo defer-  
tur. Nec obstat textus in d. cap. 1. de accusat. quē in

eius commentario exposui. Nec obstat augmentum deductum ex eo, quod jusjurandum deferi non possit à judice reo in causis criminalibus. Nam licet satis controversum sit, an jusjurandum deferi possit reo, tam ab aetore, quam judice, in causis criminalibus; placet tamen sententia Fornerii dict. cap. 5. Bronchorst. enantiop. cent. 2.  
affert. 27. qui affirunt, judicem tantum purgationis causā juramentum deferre posse, actorem vero in causis criminalibus civiliter intentatis, non vero criminaliter, illud deferre posse; qui varia iura exponunt. Nec obstat, quod dicebamus, hoc genus probationis fallax esse: tum quia testes in eo deponunt de credulitate: tum quia facile inter eos collusio dari potest; nam quando testes compurgatores, qui debent esse vicini, juxta suprà tradi- ta, deponunt se credere reum jurantem verum dicere, rationem depositionis reddunt, videlicet quia ut vicini, si alias esset scilicet delictum admisum, non ignorarent: & ideo testes deponente se scire, qui vicini sunt, plenam probationem facere, post Bartolum in l. 1 ff. de rebus creditis, probat Facheinus lib. 11. controv. cap. 69. per totum. Quod autem colludere possint, non est attendendum, cum nemo credatur immemor salutis alter- na, & cum iuramento omnes illi deponant.

## TITULUS XXXV.

### De purgatione vulgari.

#### CAPVT I.

##### Cœlestinus III.



Vra suscepisti regiminis nos inducit, ut fratum nostrorum debe-  
amus respondere consultationibus, & ab eis, quantum humana  
fragilitas permittit, dubitationis scrupulum amputare. Inde est,  
quod cùm tua fraternitas duxerit Sed. Ap. consulendam, utrum  
super Ecclesiarum præsentationibus duella debeat sustineri?  
tua duximus sollicitudini respondendum, quod in eo casu, vel in  
aliis etiam hoc non debes aliquatenus tolerare.

#### NOTE.

**C**œlestinus III. Ita etiam legitur in cap. unic.  
hoc tit. in 2. collect. & in cap. 2. de cleric. pugn.

in duello, in eadem collect. nullibi tamen exprimitur,  
cui rescribat Pontifex.

#### CAPVT II.

##### Idem Priori sancti Sergii Spoletani.

**S**ignificantibus Vv. laico, & fratribus ejus, ad nostram noveris audientiam perve-  
nisse, quo cùm quidam eos super furti crimine accusaret, cum eo prater terræ  
consuetudinem coacti sunt inire duellum, in quo aliis peccatis suis præpedientibus  
ceciderunt: propter quod post appellationem ad nos b' interpositam, per Consules  
Spoletanos bonis fuerūt propriis spoliati: nunc vero furtū apud alios est inventum,

&